



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Apologia Explicationis Gavsarvm [!], Cvr Cvm Gregorio à  
Valentia Hispano, Iesuita Ingolstad. de hominum  
mortuorum, Statuarum, Imaginum, &c adoratione, non sit  
amplius disputandum: Et Refvtatio ...**

**Heerbrand, Jakob**

**Tvbingæ**

**VD16 H 960**

I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36573**

ate, animiq; impotentia, vt ea non repetat tantum,  
 et augeat etiam. Quæ nisi ad oculum hoc scripto de-  
 monstrauero, vanus habebor.

Sequitur autem ordinem ab Aduersario institutum,  
 cui visum est, cum ego veras exposuissem causas, cur  
 cum ipso mihi non amplius de Idololatrica mortuorum in-  
 uocatione, panis consecrati, imaginum, statuarum &  
 ceterorum adoratione esse disputandum, iudicauerim: prius,  
 alias à se excogitatas, falsas, & mendaces (hoc suum enim  
 habet Hispanus iste) fingere & spargere causas, prop-  
 ter quas certamen detrectauerim. Deinceps, veras, & à  
 me productas ac enumeratas huius rei causas, refutare  
 conatus est, mirifice sophistica passim ludens, omnia  
 que mea peruertere studens. Ad quæ omnia & singu-  
 la, ea etiam, ad quæ in præcedenti scripto non respondi  
 quod opus esse minimè iudicarem, cum improbe adeo  
 insultando urgeat & exigat, ordine iam & breuiter,  
 quantum fieri potest, respondebimus stulto, ne sibi sa-  
 pienter videatur, ipsius quæ contra attulit, refutaturi: no-  
 stra vero, Deo bene iuuante defensuri, vt omnes æqui  
 Lectores intelligant, & iudicent, vtrius causa sit supe-  
 rior. Sed hinc mihi accidere video, quod veteres ryth-  
 mis significarunt.

*Hoc scio pro certo, quod si cum stercore certo:  
 Vinco vel vincor, semper ego maculor.*

I.

Initiò autem cramben suam multoties iam co-  
 ctam, atq; recoctam, & decoctam, definitiunculam di-  
 uinam insufficientem, à se positam, malus & ineptus co-  
 gnoscentis beneficia miscens, quibus & Religio, & miseræ  
 animæ

A 2

animæ inficiantur, apponit, & tanquam Gorgones caput in prima acie collocat, calumniaturq̄, ideo me p̄p̄nam detrectasse, quod non potuerim probationum veræ suæ definitionis Idololatriæ è scripturis ducere, quam ipse amplius triginta Scripturæ locis probasse esse: Cum diuinus honor creaturæ sic adhibetur, quomodo debet soli creatori adhiberi.

Atqui ridicula hæc est adeoq̄ nulla causa, quam hic allegat Hispanus miser, frustra q̄ sensu mentis inflatus, imò stolidè superbus homo: sed fulgur pelui. Respondi enim semper & ab initio statim, non negare me, dicto ab ipso modo, Idololatriam committi. Ideoq̄ etiam dixi, minimè opus fuisse hoc prolixè, & superuacue, coaceruatis multis Scripturæ sacre testimonijs, probare. Non fuit enim hic, nec est, causa huius: Num hoc modo admittatur Idololatriæ crimen, hoc enim nemo inter nos est, qui dubitet. Et cras hæc est Idololatria, quàm vt à quoquam etiam sapientiori Ethnico, nedum Christo qui nomen dedit, negari possit, aut debeat. Verum in hoc negotij cardo vertitur, & disputationis scopus: An non & alijs modis Idololatriæ crimen designetur. Cum nemo ferè omnium, præfertim verò in eo cœtu, qui de Deo, eius Ecclesia, veraq̄ Religione gloriatur, videri velit Idololatriam. Et tamen interim Prophetis Domini omnibus, præcipue cum suo populo, negotium propter Idololatriam, quo nomine eum sunt insectati grauissimè, dum immunitè se & alienum ab isto crimine se esse profiteretur, semper fuerit, Ideoq̄ insufficientem esse dixi, & crassam paucorum tantum quorundam stupidorum & insensatorum hominum Idolomaniam, quam omnes Turci,

ci, Iudæi, & saniores Ethnici quantumuis aliâs Idololatriæ dediti, sint subscripturi. Et Scripturæ Sacro-  
 inctæ fundamentis & testimonijs immotis probavi,  
 Alijs quoq; modis, quàm isto crasso tantùm, Idolola-  
 triam committi. Quæ à me producta testimonia alla-  
 trauit quidem canis impudens, deprauare etiam & per-  
 uertere ea est conatus: Sed manet inuicta verbi Dei  
 veritas, manet & Hispanus cum suis Esauitis Idolola-  
 tra, ad mortuorum 14. Opitulatum, aliorumq; Diuo-  
 rum, & Diuarum auxilia confugiens, Maiores & mi-  
 nores gentium Deos implorans, S. inprimis Mariam de  
 Laureto, quæ cum Ioue diuisum habet imperium,  
 Christo (omnis misericordiæ fonte) relicta iustitia in  
 puniendis peccatoribus, isti reseruata Misericordia.  
 Quod prolixius quàm vellet Sauita iste, in Spongia *Spong fol. 36.*  
 probavi. *vsq; ad 43.*

Quod verò firmam & inconcussam suam manere  
 definitionem (insufficientem illam) atq; bonam, meo  
 etiam testimonio me confirmasse, hîc iam addit: eo  
 quod dixerim: Quantò rectius Gerson Doctor claris-  
 simus, Idololatriam definiuit, &c. Suam enim ab ista  
 nihil discrepare: eo ipso igitur tacitè à me confirma-  
 tum. Hinc etiam scurriliter nugatur, quòd nescio in  
 quibus me coniecerim angustias, hac oratione, Gerso-  
 nis commendatione, Doctorem primùm eum claris-  
 simum appellando, deinde, dicendo: Quantò rectius  
 definiuit Gerson. Quare de mea conscientia ipse nihil  
 dubitet, certum esse enim, orationis meæ fuisse sensum,  
 Idolatriâ à Gersone omnino rectè fuisse definitam.  
 Quod hic primùm diuinum hominem, qui ad eò lyn-  
 ceus habet oculos, vt conscientie meæ testis esse possit

A 3. certifi-

certissimus, adeo ut nihil se dubitare dicat, qui de sua perpetuo est dubius: prius nosce te ipsum Hispano. Sed tamen mirari desino, cum in hoc suo libello docere instituat, Deum facere sanctos suos καὶ ἀγαθούς, ut tacitas etiam cordium cogitationes videre possint, sicut olim Elisa & Petrus Apostolus quaedam viderunt. Iudicandum est itaque Hispanum hunc, eodem quoque afflatum numine, & dono spiritus esse praeditum, ut occultas meas videre potuerit cogitationes. Est enim mirè sagax. Verum ego te nec Prophetam, nisi per merdatum (sit venia verbo) nec καὶ ἀγαθούς, angustis sed hominè furiosum, cum furor arma ministrat. Deinde quò ad verba mea attinet: nò ideo probavi Gerfonis, multò verò minùs Sauritæ huius definitionem, quæ tria definiuit, &c. Quàtò rectiùs mihi licet dicere (ita enim eadem verborum forma & phrasi, qua antea) & in uersione uti: Gregorius de Valentia dicit: Idololatriam dici ea, quæ à se in definitione Idololatriæ tradita non comprehensa sunt: à me verò addita, posse metaphoricè. Probat ergo ipse meam definitionem.

Quòd autem dixi, Comparatiuum non semper præsupponere positiuum, hocq; simili orationis genere comprobavi ex verbis Christi: Tolerabilis erit terra Sodomorum, &c. Ibi dixi, nò ideo bene habituros, aut impunè laturos, à pœnis absolutos Sodomitas: id suo more, cum aliud non habeat, scurriliter ridet Hispanus, & in nescio quas me miser contecerim angustias, ex quibus me extricare nequeam, vociferatur. Quibus addit, neminem absq; magna hæc legere posse commiseratione.

Ex quibus manifestè apparet, hominem istum se esse

*Apologet. fol. 8.*

um ad omnia omnium artium & professionum fundamenta euertenda, quantum quidem in ipso est, Deo iratum, ac vere Diabolum esse incarnatum.

Sed ut respondeam: Mirum est, Hispane, ita te existimatum esse viribus, & eneruatum, ut vitiligator toties in scenam prodiens, pro defensione tuae imperfectae definitiunculæ, vocabulo vno captato (rectius) ad Grammaticorum auxilia (quæ frustra imploras, reclamante, & minus propitio Prisciano) tibi sit confugiendum: cum potius Pontificis implorare deberes opem, qui supra Priscianum est. Quasi verò, si multò rectius Gerson Idololatriam definerit quàm tu, exinde sequatur, rectè te definiuisse: sicut tu colligis, sed malè. Non enim hinc sequitur, tuam definitionem rectè esse constitutam. Quod, ut antea memini, Comparatiuus non semper præsupponat positiuum, ut antea te monueram. Quia verò ea tibi superbissimæ bestia, contentions magis studioso quàm veritatis, non satisfaciunt: age ad Grammaticos veniamus. Et ex Latinæ linguæ consuetudine, phrasi & bonis authoribus te docebo, eodem modo Latinissimos Scriptores loquutos. Ita *Iuuenal. Satyr.*  
14.  
semper loquitur Iuuenalis.

*Sensit Alexander testa cum vidit in illa,*

*Magnum habitatorem, quanto FELICIOR hic, qui*

*Nil caperet, quàm qui totum sibi posceret orbem.*

Cõferet Poëta inter se Alexandrū Magnū regnādi cupiditate vltra modū accensum, & Diogenē ab illa domūdi libidine remotū, paucisq̃ contentū, foelicioresq̃ Diogenis, quàm fuerat Alexandri vitæ, Ergone, foeliciores fuit Diogenes Alexandro, quòd careret illa cupidine, idcirco Alexander, qui eam habuit, felix.

felix ea fuit: Sic quidē tu Hispane argumētāris, seu magis garis potius. Nequaquā verò, Grammatices imperiosissime. Quod ut discas, audi quæso, & scholas ingredere Grammaticas latinorum, si tibi Doctori Theologo molestum non est. Imò etiam inuitum, nolentem frustra repugnantem te traham & cogam, cum tu tela contra me arripere volueris. Audi itaq; ut maxime

*Iuvenal. Sat. 20.* tibi sit molestum, eundem Poëtam, tibi, hoc obijciunt, occinentem, & dicentem.

*Vnu Pellaos iuueni non sufficit orbis*

*Æstuat INFOELIX angusto limite mundi.*

Antea Poëta Diogenē Alexandro FOELICIO esse dixerat, Comparatiuo vsus. Postea verò ut dicitur Hispanum istum Grammaticam artis huius impotentem, simpliciter Alexandrum FELICEM negat, simpliciterq; INFOELICEM vocat,

Ad hunc eundem modum & alius Poëta loquitur.

*Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*

Ergo etiam virtutes secundum Hispanum, sunt viles, quia aurum vilius est virtutibus.

Sic Susannæ satius erat incidere in manus senum, quam Dei, Ergo illud bonum: Nequaquam. Sic David inquit: Melius est, ut incidam in manus Dei, pelle scilicet electa, quam hominum. Ergo pestis bona erat: Sic Apostolus: Melius est nubere, quam vni. Ergo vni bonum est Hispano: Quid tibi hinc Hispane videtur? An non temetipsum iam tui piget, pudet, miseret, torquet? Nūc Heerbrandus adhuc in tantas se suo comitatus Comparatiuo (RECTIVS) angustias, ut se ex illis extrahere miser nequeat, ideoq; commiseratione dignus. An verò tu tuam omnibus prodis calumniandi libertatem

ELICITIONIS CAUSARVM. 9

in infatigabilem, & artis Grammaticæ imperitiame  
 tuam ergo probat definitiunculam, quod Ger-  
 son rectius te eam definiuisse dixi: Nequaquam ve-  
 ro miselle Grammaticelle. Regula enim est apud Prif-  
 cianum: Comparatiuum interdum pro minore vi acci-  
 pi, quam ipsum Positiuum habeat: quam quia tu non di-  
 scisti, eaq; de causa propter ignorantiam exagitas,  
 ideo vapulas miser. Tui itaq; me miseret miserrime.

Quin ad eas redactæ sunt Hispani copiae angustis  
 as, ut patrociniū Reuerendissimus hic Pater miser,  
 suæ causæ pessimæ ex altero etiam vocabulo quarat  
 quod Gersonem, clarissimum vocauit doctorem. Ergo  
 eius probō per omnia definitionem. An vero ij, qui  
 Catalogos virorum Illustrium & Clarissimorum scrip-  
 serunt, ideo omnia illorum dicta, facta, scripta probant?  
 Non putamenti compotem hoc affirmaturum. Cla-  
 rissimum autem Hispanie, si scire cupis, vocauit Ger-  
 sonem Doctorem, rebus magnis gestis, & scriptis quo-  
 rum præcipua fuit autoritas. Quæ etsi non proben-  
 tur per omnia, tolerabilius tamen multò alijs scripsit  
 Pontificijs doctoribus. Qualis hæc est sententia: Pri-  
 ma veritas staret, quod aliquis simplex nō authoriza-  
 tus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quod  
 esset credendum, in casu doctrinali, suæ assertio-  
 nis quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse  
 credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur  
 eruditus, veritatem aliquam in Euangelio conti-  
 neri, ubi & Papa nesciret, vel vtrò erraret, patet cuius  
 referendum sit iudicium.

*Gerson parte 2. de  
 examinatione dog-  
 matrum.*

*Id. parte 3. sup.  
 Magnificat.  
 tract. 8.*

Item illa. Solum ens diuinum, & sumum, Iatria  
 adorandum. Sciunt hoc fideles, sciunt & Philosophi  
 B omnes.



omnes Nihil habet lignum crucis diuinitatis, etiam ab  
 qua pependit Dominus. Secundum ergo Gersonem,  
 Hispanum, Doctorem clarissimum, tu, qui colitur  
 crucis doces signum & lignum, Latria, nec fideliter,  
 nec Philosophus. Quis igitur? Hoc tute videris, Non  
 Ethnicus, Idololatra turpis, vel aliud monstrum, Item  
 la: Iudicate, si tanta Imaginum, & picturarum in Ecto-  
 sijs varietas expediat. Et an non plures nonnunquam  
 simplices ad Idololatriam peruertantur.

*Id. in declaratio-  
 nibus defectuum  
 Ecclesiast.  
 Wett Fritz du  
 gwinst.*

Similiter & hoc. In hac quaestione: Vtrum in co-  
 nibus sit obtemperandum potestati Papæ, respondit  
 Non esse peccatum mortale, non obtemperare.

Non ergo ista Gersonis commendatione, & qui  
 rectius eum te, definiuisse Idololatriam dixi, tuam  
 imperfectam probaui definitiunculam, vt calumnia  
 quod demonstrandum erat: vt vanitas & falsitas in  
 conficta temere & mendaciter causæ, omnibus appa-  
 reret, tuæq; petulæ malicia, & maliciosa atq; Thra-  
 ca petulantia contunderetur, superbissima bestia.

## II.

Simile huius est, quod secundo loco sibi scribere  
 permisit: Non potuit, inquit, Idololatriæ definitionē  
 suam, qua contumelias in Catholicos iniquissimas, ius-  
 stas facere conatus est, tueri, confirmare, vel defendere.

*Disput. de hor-  
 renda Idolol. Pon-  
 tif. prop. 11.*

Hæc autem illa mea est: Idololatria, Idola, seu Di-  
 alieni in Sacra scriptura, non sunt tantum Baal, Astar-  
 roth, Chamos, Moloh, Astarthe, aut gentium simula-  
 chra, ex quacumq; materia facta. Vel etiã (vt docet ad-  
 uersarius) cum honor Dei proprius, creaturæ, sicut  
 Deo